

mus, qui numerus primus est, ipsum in duo aequalia diuiserimus, manifestum est, ipsius partem alteram unitatem esse & existere, quæ si binatio addere volueris, Ternarius inde proueniet. Sive vero Binarium duplicare volueris, Quaternarius inde nascetur, cui Quaternario si unitatem ad dideris, quinarium tibi producet. Si vero eidem Trinarium iterum ad dideris, Septenarium inderecipes, cui unitate superaddita Octonarium tibi procreabit. Cui iterum unitatem addendo Nouenarium reperies. Sive vero Binarium, Denarium tibi Numerum procreabit. Eo quoque modo Centenarii ex Denariis, Millenarii ex Centenariis numeris procreantur. Una vero die vocauit me Magister meus Bellonus Philosophus, & dixit mihi: Eia Fili, spero te hominem esse specialis intellectus, & etiam quod poteris pertingere ad gaudium supremum sapientiae. Interrogabo te ergo, & tu responde mihi. Et dixi ei: Eia Pater misericors, & Magister honorande, interroga dilecipulum, & ego, prout potero, respondebo tibi; Et dixit: In quot contraria dividuntur omnia? Et dixi: In quatuor. Et ille: Quæ sunt illa quatuor? Simplex, & simplex de simplici, & Compositum de simplici, & compositum de compagno. Et dixit: Quod istorum est primum? Et dixi: Simplex. Et ait: Quod est illud Simplex? Et dixi: Duæ naturæ primæ, quarum una agit, & alia patitur. Et ait: Quæ sunt illæ duæ naturæ? Et dixi: Prima earum est natura caloris, & secunda frigiditatis; sed natura caloris est actiua, frigoris vero passiva. Et dixit: Quid est post simplex? Et dixi: Simplex de simplici. Et dixit: Quid est illud? Et dixi: Natura caloris & natura humiditatis, & natura frigiditatis & natura siccitatis. Et ait: Quomodo generantur istæ naturæ? Et dixi: Creator omnium in principio absque sermonis prolatione dixit: Sit creatura talis: Postea creata est creatura, quæ nec magna nec parua, nec subtilis nec grossa, nec mouens, nec quiescens dici potuit, nec alia quacunq[ue] determinatione determinari, nec rei cuilibet assimilari. In qua quidem principaliter omnia extiterunt, quæ ut ad aeternum reducerentur, creavit creaturam secundam, quam Lucem appellare decteuit. Hæc autem Lux Sphæra quadam creaturam primam intra sui concavitatem continebat. Huius vero naturæ, id est, creaturæ natura, aut creatura erat calor & motus, unde patet, primam esse frigiditatis & status. Et quia ut illæ erant ad inuicem approximatæ, repercussit calor frigiditatem, & costrinxit se frigiditas condensando seipsam: Et quia de natura caloris & cuiuslibet subtilis est penetrare, penetrauit calor usque ad centrum frigiditatis: Et quia cuiuslibet rei finis est eius contrarium, motui autem opponitur tam motus quam quies: Ideoque motui isti, qui fuit ad centrum

fuit